





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE

ORE  
VT SIGNO

1752, 3,

QVAM  
SVMMI NVMINIS AVSPICIIIS

ET  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV  
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI A CONSILIIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOS. NATVRAL. PROFESS. PVBL. ORDIN.  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOS. PRAESIDE,  
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIMO MODO IMPETRANDIS

D. XX. SEPTEMBR. A. R. S. MDCCLII.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES CONRADVS PHILIPPVS ZIMMERMANN

KITZINGA-FRANCVS.

HALÆ MAGDEBVRGICAE,

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

158

6



DISSERTATIO IN ANATOMIA MEDICA

DE

ORE

VT SIGNO

QUAM

SVMMI NVMINI AVSPICIS

ET

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV

PARASIDE

PRO MERTITO, ACCURATA ET EXPERIMENTALIS

DOMINO

D. ANDRÆA ELIA BVCHNERO

PHYSICI ROMANI IMPERII NOBILIS

FORO ROMANO FORO ROMANI RECI A CONSULIBUS PUBLIS

MERITO RECI A CONSULIBUS PUBLIS RECI A CONSULIBUS PUBLIS

RECI A CONSULIBUS PUBLIS RECI A CONSULIBUS PUBLIS

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMO IN MEDICINA HONORIS ET PRIVILEGII

LEGITIMO MODO INTERDICI

D. XX. SEPTEMBER. A. S. MDCCCLII.

IN AULA REGIA PRÆSIDIUM

AVCTOR

IOHANNES CONRADVS PHILIPPVS ZIMMERMANN

PHYSICVS

MDCCCLII

IN AULA REGIA PRÆSIDIUM



REVERENDISSIMO

ATQVE

CELSISSIMO

S. R. I. PRINCIPI

AC DOMINO

CAROLO PHILIPPO

D. G. EPISCOPO HERBIPOLITANO,  
FRANCIAE ORIENTALIS

DVCI,

CETERA, CETERA;

PRINCIPI AC DOMINO SVO

CLEMENTISSIMO,

PRIMITIAS HAS  
ACADEMICAS INAUGURALES MEDICAS,  
QVO  
PVBLICO QVODAM MONVMENTO  
SVBIECTISSIMAM DEVOTISSIMAMQVE OBSEQVII  
TANTO PRINCIPI  
DEBITI  
RELIGIONEM TESTARETVR,  
ET SE FORTVNA MQVE SVAM  
IN  
IPSIVS PATRIAE PATRIS  
CLIENTELAM  
DEMISISSIME COMMENDARET,  
EO,  
QVOD SVMMVM EST SANCTISSIMVMQVE,  
OBSEQVIO  
NVNCVPATAS DICATASQVE  
OFFERT

SERVVS SVBIECTISSIMVS,  
IOANNES CONRADVS PHILIPPVS ZIMMERMANN.



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

ORE  
VT SIGNO.

---

PROOEMIUM.



Cum multa adhuc argumenta nequaquam satis in medicina euoluta sunt: tum inprimis ea pars, quam Semioticen appellamus, prae reliquis plura comprehendit, nec dum satis explorate cognita aut attente obseruata, quae tamen & ad cognitionem diiudicationemque morborum necessaria sunt, & ad medicatio-nes prudentissime dirigendas maxime accom-


A 3

moda-

modata. Inter haec vel plane praeteruisa, vel saltem non, ut conueniebat, satis exacte animaduersa momenta merito referenda existimamus ea valetudinis aduersae prosperaeue signa, quae in singularibus corporis humani partibus iis manifesta sunt Medicis, qui accurata morborum sanitatisue inuestigatione delectantur. Nos equidem, ne alios, qui semiotica tractarunt, inconsulto reprehendisse videamur, neminem ad signorum e peculiaribus corporis partibus euolutionem attentum fuisse negamus; sunt enim, quorum animaduersiones de faciei, oculorum, aurium, manuum, &c. signis tam coniunctim cum aliarum partium apparitionibus, quam singulatim relatas habemus: nihilo minus aliqua adhuc superesse in hac Semioticae doctrinae particula videmus, quae exactiorem merentur pertractationem. Exemplo *varios oris habitus* proponimus, constituendis morborum iudicationibus inter alia signa apprime conuenientes, quos ex parte quidem semioticae memorant commentationes, maiori vero ex parte in iisdem deprehendimus praetermissos. Differemus ergo *de ore, ut signo, ut ad hanc doctrinam nostra etiam quantula-*  
cunque



cunque studia adferamus, dum in praesenti ad  
summos, quos ambimus, in salutari arte ho-  
nores admissio specimen a nobis exigit huius-  
cemodi inaugurale. Si qua tamen nostra  
hac Dissertatione non satis exacte atque abso-  
lute fuerint disputata, aut vel ipsos per erro-  
res posita, beneuolos rogamus Lectores, co-  
gitent, nos homines esse eosdemque Medi-  
cos adhuc iuuenes, rationis atque experien-  
tiae usu in posterum confirmandos. Quic-  
quid vero horum nostrorum laborum est, a  
summi Numinis adiumento gratiaque non  
destitutum iri confidentissima spe  
auguramur.





§. I.

ris indicia, ad faciliorem fanitatis morborumue intelligentiam facientia, in praesentiarum exposituri, minime in eo antea laborabimus, vt prolixius per ratiocinia, vt solent, longa serie deducta euincamus, haud incongrue ab *oris* qualicunque *habitu* signa desumi. Namque, si fuerint, negent alii, commodum oris ad capienda signa esse intuitum; & expedite statim atque copiose per eandem hanc ipsorum assumptionem demonstrabimus, totum oris ambitum aut nullis eiusmodi mutationibus, quas pathemata vocant, esse obnoxium, aut ipsis oculis non esse conspicuum, aut a consortio reliquarum corporis humani partium prorsus esse seiungendum; vt alia non minus ridicula atque absurda, quae naturali consecutione inde confici possunt, taceamus. Signi enim naturae, vi dogmatum philosophicorum, requirit, vt adparitiones quaedam, hoc est, mutationes sensibus per-

perceptae adsint, ex quibus ad qualemcunque illius corporis statum concludi possit; omnes autem in corpore humano mutationes, secundum Physiologorum demonstrata, per motum, a viribus partium illius corporis productum, contingant, ipsaeque partes vniuersim sumtae semper determinato quodam gradu inter se consentiant <sup>a)</sup> atque connectantur: abunde hinc constare existimamus, ipsum quoque os, cum quaedam corporis pars sit, adeoque ipsi cum reliquis partibus consensus atque coniunctio intersit, haud incommode signorum capiendorum causa adspici obseruarique posse.

### §. II.

Nostri potius instituti exigunt rationes, ut, cum duplici significatione, altera *late*, altera vero *stricte* angusteque sumta, Medici oris nomen ambitumque comprehendant, nos distincte declaremus, quam potissimum vim ipsi oris vocabulo in praesenti Dissertatione simus destinaturi. Alii enim, qui sub oris voce strictam subiiciunt sententiam, eam faciei partem, quae nares mentumque interiacet, & solis duobus

<sup>a)</sup> Non est, quod ipse hic assertus omnium partium consensus obiurgationi ansam praebet. Partium enim dissensus in exerendis viribus, quem & nos cum aliis *morbum* vocamus, tantum respectu prioris virium gradus, in singulis humanis corporibus per fabricam ipsorum determinati, hoc nomen meretur: simulac vero aliqua in fabrica accidit mutatio, ipsae partium vires nouo quodam gradu, per mutatas fabricae rationes determinato, inter se consentire deprehenduntur.

bus labiis constat, hoc nomine insigniunt. Aliis vero, qui latiore huius vocabuli significatum sectantur, latius quoque oris spatium patet, ab iisque ad oris ambitum, praeter labia, dentes quoque & gingivae, palatum, uvula diuersaeque glandulae, tam salivae, quam alius cuiusdam humoris secretioni destinatae, partes utpote omnes, oris cavitate comprehensae, referuntur. Quorum sententiam in praesenti nostram faciemus & in exponendis signis, Medicorum expertissimorum attentam industria erutis atque confirmatis, per has oris partes modo memoratas ibimus.

## §. III.

Fatemur equidem, nos hoc loco merito anatomicam singularum partium, oris vocabulo subiectarum (§. II.), demonstrationem praemittere oportuisse, ut, perspecta inde illarum structura & cum reliquo corpore nexus ratione, ipsorum signorum, ab oris phaenomenis deriuatorum, causae eo distinctiores fiant atque explicatiores. At benevoli Lectores praemoneri se patiantur, nos nunc quidem nec in anatome harum partium, nec in causis exponendorum signorum, exinde singulatim demonstrandis, fore occupatos, sed signa solummodo a variis harum partium mutationibus desumenda accurate pleneque nos esse exposituros: cum partim ipsum praefens, quod edere intituumus, specimen singulares ob rationes contractioribus limitibus circumferibatur; partim vel ipsam nudam signorum medicorum enarrationem, accuratis observationibus

bus superstructam, commodior in artis exercitio  
 vfus prae quavis alia eorundem signorum expositio-  
 ne, longis euolutarum caularum ambagibus simul  
 intricata atque confufa, commendet; partim deni-  
 que ipfa harum partium anatomica cognitio, facile  
 aliunde *b)* acquirenda, ipforum signorum, quae a  
 nobis enarrabuntur, rationes efficiat enodatas. Si  
 qua tamen signi cuiusdam causa intellectu difficilior  
 nobis visa fuerit, feorsim succinctae eiusdem vacabi-  
 mus explicationi.

## §. IV.

Cum mutationes, in humani corporis partibus  
 animaduersae, quas superius (§. I.) signorum medi-  
 corum fontes diximus, vel praesentem, vel praeter-  
 ritam, vel futuram corporis conditionem manife-  
 stent: ad inducta hinc in Semioticen primaria signo-  
 rum genera, *diagnostica* nimirum, *anamnestica* *c)*  
 & *prognostica*, nos etiam, dum signa oris sigillatim  
 exponere paramus, quoad licebit, curate attende-  
 mus. Qua in re vt explicatior sit nostra disputatio,  
 & mutationum, in oris partibus a praeternaturali-

B 2

ter

*b)* Hoc in adminiculum praecipue commendamus de oris  
 eiusque partium structura conferendum C. E. ESCHEN-  
 BACH, in *anatomica descriptione corporis humani*, Ro-  
 stochii 1750. vernacule edita, *Splanchnol. Cap. V.*

*c)* Rememoratiua tamen haec signa, cum praesenti statui ex  
 praeterita conditione colligendo inferuiant, cum dia-  
 gnosticis coniungamus, vt descriptionis habeamus com-  
 pendium; quod non sine auctore instituiamus, si Le-  
 ctoribus conferre lubeat Mich. Bernh. VALENTINI  
*Medicinam nouantiquam* Part. III. Cap. I. §. 3.

ter peruersa ipsarum fabrica ortarum, expeditior sit animaduersio, de singularum harum partium ordinaria conspicua, nec anatomico demum artificio euoluta indole, breuissime dispiciemus, anteaquam illis mutatis, vt indicibus, fuerimus vi.

## §. V.

Quodsi vniuersum oris, stricte sumti (§. II.), ambitum generatim intueamur, neglecto ad singulares eiusdem partes respectu, ad naturalem illius conditionem pertinere deprehendimus, primo, vt *liberrime* atque pro cuiusuis hominis voluntate *mo-neri* possit; secundo, vt ne qualemcunque *odorem* edat; tertio denique, vt a *tumoribus* aut *exulcerationibus* sit immune. Ab his itaque momentis, si secus fuerint, opportunas capi posse iudicationes, sequentia illustrium Medicorum, praesertim summorum in his rebus virorum, HIPPOCRATIS atque GALENI, obseruata luculenter demonstrarunt. Atque quod primum ad *voluntarium oris motum varie turbatum* attinet, significantiores eius mutationes in *involuntario*, aut ab aegrotis inobseruata *oris vel occlusionē, vel biatu*, vel denique *distorsione* consistunt. *Oclusi oris* illaetabilem plerumque habemus diagnosticam iudicationem. Namque vt valida huiuscemodi oris eonstrictio, velut symptoma, potioribus spasmoticis atque convulsiuis affectibus generatim interest, ita peculiariter, si, dentium stridori iuncta, in catalepticis insulcibus contigerit, vehementissimum musculorum, ad tempora mandibulasque pertinentium, spasmus, quem *trismus* vocant, manifestat. Eadem fere

fere haec pathemata, cum effusa ante os spuma subalbida, haud raro quoque subcruenta & velut ichorosa cadauerisque instar foetente, ii, quos comitiale corripit malum, experiuntur. Ab alterna vero oris praeter voluntatem coarctatione & apertione motuum spasmodicorum vagorum praesentia iudicatur; quod idem phaenomenon in infantibus praecipue si sub somno acciderit, & manducationis speciem retulerit, dentesque simul striderint, de contenta in intestinis vermium foetura testari existimatur. Quod vero ad prognosin ex ore clauso capiendam spectat, in iisdem his, quae modo memorata sunt, malis, si diutius os fuerit obturatum constrictumque, maiorem morbi pertinaciam gravitatemque declarabit. Si vero, quod interdum fit, apoplexiae, a serosa colluie ortae, oris alioqui tunc plerumque patuli coarctatio superuenerit, mors tantum non semper insecutura exinde praefagitur.

## §. VI.

Contra ea, qui huic symptomati ex aduerso oppositus est, *hiatus oris*, altera inuoluntaria eiusdem motus immutatio (§. V.), haud leuiorum prae prioribus malorum indicia offert. Namque ut de diagnostis signis primo dispiciamus, alia quidem iudicandi est ratio in hiatu oris ab externis violentisque causis orto, alia in eo, quem internae causae efficiunt. Externam enim violentiam, quo etiam quodammodo profundiosem oscitationem, vociferationem, cachinnum, &c referimus, si inuoluntaria & irretractabilis oris diductio fuerit secuta, in-

ferioris maxillae luxatio indicatur; quae eadem, si internae cuidam causae ortum debuerit suum, paralyticam ligamentorum musculorumque huius mandibulae relaxationem, ceteroqui perraram, declarabit. Singularis vero est obseruationis *d*); a maxilla hac, per internas causas quodammodo luxata, factoque hinc oris hiatu, scirrhosam haud raro hepatis indurationem designari. Ab ipsa autem oscitatione si lethargo laborans oris iterum claudendi fuerit oblitus, neque forsitan, grauius oscitando; maxilla articulo fuerit emota, vt antea diximus, maxima inde morbi vis simulque, si ominari velimus; funestus plerumque finis intelligi potest. Ad haec etiam ad affectuum cynanchicorum diagnosin, cum grauiores fuerint, inter alia signa inprimis pertinet os late diductum frigidique aëris cupidissimum, & interdum saliuam spumatum. Quem vero in infansibus puerisque nonnunquam sub somno obseruamus, constans oris hiatus, mox cum dentium stridore, mox cum lingua exserta coniunctus, aequae ac alterna oris apertio contractioque (§. V.), vermium intestina vexantium index habetur: licet etiam saepius simplex, nec praedictis symptomatibus stipatus, sed solum adhuc qualitercunque sterrente spiritu distinctus, nares a viscidiori coryzae pituita obstructas manifestet. Quantum vero ad praesagitiones medicas, dum hiantia spectamus ora, attinet, nonnullas earum iam ex parte attigimus. Conuenit

*d*) Auctorem citamus Iodoc. LOMMIVM, in *Observat. medicinali*. Libr. II. de iecinor. scirrho.



nit autem, vt his addamus, in acutis febribus pessimi haberi ominus, aperto ore dormire; qua circumscriptio etiam definienda existimamus illa HIPPOCRATIS e): *funestum esse, hianti semper ore & cruribus valde retractis atque complicatis resupinatoque corpore dormire.* Namque consuetudo, vt ipse HIPPOCRATES paullo infra innuit, aut etiam leuior catarrhalis narium obturatio, cuius nos modo mentionem inieciimus, permultum ominosae huiuscemodi somni indoli derogabit. Sunt tamen, qui, nonnullis inducti rationibus, pueris stertentibus, & ob nares nimium pituitosas sub somno hiantibus, dum iuueniles attigerint annos, faciles pectoris pulmonumque a ferosa colluuie op-pletiones &, quae inde euentura sunt, mala ominantur.

## §. VII.

Venimus nunc ad varias *oris distorsiones*, tertium inuoluntariorum oris motuum genus (§. V.), vnde attento in observandis morbis Medico haud superuacanea signa declarantur. Atque ex his quidem potiora ad demonstratiuorum, quae vocantur, signorum classem pertinent. Quandocumque enim os contorqueatur, generatim inde spasmodicam neruorum afflictationem designari constat. Singulariter vero motus spasmodici vagi, interdum quoque conuulsiui, paralyfes, &, teste LOM-

MIO

e) Vid. HIPPOCRATIS *Praenotiones*. Cap. III. Tom. I. pag. 450. Edit. van der Linden.

MIO f), apoplexiae, hoc signo aliis coniuncto, irruunt; quae violenta oris contorsio, si speciatim alteram tantum oris partem occupauerit, ut aegroti cum canibus ringere videantur, spasmus cynicum, si utramque vero partem, interiuncto delirio, affecerit, ob ridentis speciem, risum Sardonium designat: ex quo singulari risu, si cetera signa se rite habeant, saepe praesens diaphragmatis inflammatio aut laesio, itemque vterus inflammatus iudicatur g). Hoc loco etiam memoratiui, ut aiunt, signi cuiusdam (§. IV.), ab eiusmodi oris habitu desumendi, mentio est iniicienda. Quodsi enim interdum aliqui, praesertim senes, distorto ore conspiciantur, plerumque de praeterita apoplexia aut paralyti, rarius epilepsia, facilis est coniectura. Ad praesagia concipienda, in melancholicis maniacisque deliriis, ad eas oris inuersiones, quae subridentem atque laetum vultum praefertunt, attendere intererit; cum inde partim imminentem delirationis paroxysmum, partim minorem restituendae sanitatis difficultatem augurari possimus.

## §. XIII.

Alterum generalius momentum, quod capiendis ex ore signis conuenit, est qualiscunque oris odor,

f) In *Observat. medic.* cit. Libr. II. de morbo attonito.

g) Medium inter ridiculas oris distorsiones, tam inuitis, quam volentibus accidentes, tener hypochondriacorum risus, qui plerumque auctos in colo intestino flatus manifestat; cuius phaenomeni rationes explicare studuit celeberr. KRÜGERVS, in *andern Theil der Naturlebre.* §. 263.

odor, in fanis ceteroqui non obseruabilis (§. V.), de quo nunc breuiter dispiciemus. Anteaquam uero ex olenti ore, tam communi inter homines malo, cerra edoceri possumus signa, ad ipsas huius foetoris origines merito attendendum est. Alius enim est foetor adscititius breuique euanesceus, alius, qui in uernis iisque morbofis causis debetur. Prioris exempli causa citamus foetentem a cibis olidis animam, ut ab esu raphanorum, armoraciae, ceparum, allii, &c. item a fumo tabaci hausto, a potu spirituum ardentium, ab assumptione medicamentorum olentium, & quae sunt reliqua *b*). Alterum uero foetoris genus, ab interna exhalatum causa, propius nostri interest instituti. At hoc iterum duo subspecies distinguunt genera, quorum illud quidem foetorem in ipsa oris cauitate ortum continet, hoc uero eundem ex interioribus partibus deriuatum comprehendit. His omnibus curate consideratis perspectisque, faciliori negotio sequentia hinc deducta signa intelligentur. Diagnosin primo expedituri, notamus, spiritum in ipso demum ore corruptum, uel cariosos dentes, uel ab his alibiue ortas oris fistulas,

*b*) Neque tamen huius aduentitii foetoris obseruatio in morbis plane negligi debet. Vilioris enim sortis homines saepe olidis eiusmodi cibis & copioso nicotiana, minimo pretio parabilis, usu ita animam corrumpunt, ut perpetuo oleat; quae dein, si morbus accesserit, alteri foetori, ab interna causa orto, ita se iungit, ut facile signa ex hoc capienda confundantur, nisi & illius ratio habeatur.

C

stulas, vel stomacacen, gingiuarumque aut glandularum saliuarium conillarumque vlcera, vel uvulam palatumque vlceribus exesum, quin etiam haud raro institutam, ob affectus venereos, saliuationem manifesto indicare. Ex quibus designatis malis si qui porro eorundem internas potissimum causas colligere volent, signi huius in declarandis morbis foecunditatem euidenter patere arbitramur. Insigni autem malorum multitudini se adiungere solet hic oris foetor, ab interioribus corporis partibus ad fauces delatus. Si propiora spectemus loca, ozaenam, aut profundiora atque sordida capitis vlcera, pulmonum vomicas, empyemata phthisisque hinc indicari, Medicorum obseruationibus constat: si vero remotiora, tunc oris foetor de delitescentibus in ventriculo cruditatibus & vel ipsis vermibus, aliisque, ex quibus haec orta sunt, malis, e. g. cachexia, chlorosi, colica flatulenta spasmodicaque, malo hypochondriaco hystericae, itemque mensium haemorrhoidumque suppressionibus, tandemque vel ipsa lue venerea, si in singulis his morbis reliqua quoque singula conuenerint signa, luculentum dare testimonium aestimatur. Porro etiam notissimum est, in confirmatori iliaca passione animam insigniter esse foetulentam. Neque inter fallacia foetus in utero mortui indicia referri solet, si os foeminae grauidae velut cadauer olet; inprimis cum febris putridae initia se manifestarint. Ex his hactenus dictis potiora iam intelligi arbitramur,

quae

quae ex foetore oris *i*) praedici possunt. Singulariter vero maxime periculosa aegroti habetur conditio, si in febribus acutis ardentibus spiritus, nisi consuetudo accesserit, graueolentia fuerit infectus. Tandem quoque hoc loco haud animaduersione indignum existimamus, in puellis imprimis iunioribus atque succulentis plerisque, ceteroqui sanis, a foetore oris subolente & per paucos tantummodo dies obseruabili, proxime imminensem mensium fluxum portendi.

## §. IX.

Tertio denique accuratum in cognoscendis diiudicandisque signis Medicum nec ipsas oris stricte sumti (§. II.) pustulasque vlcerosasque foeditates, aut alia efflorescentiarum genera ipsosue tumores (§. V.), praeteruidere oportet. Namque cum qualiacunque huiusce generis exanthemata, circa externam oris superficiem serpentina, saepenumero aliquid critici designent, vel nobis non momentibus intelligitur, quantum inde adminiculi in praesagiis praecipue instituendis expectari possit. Ab ipsis vero his efflorescentiis diagnosin primo capturi, animaduertimus, pustulas alias minus profundas neque diu constantes, subitoque in oris ambitu ortas, saepe

*i*) Nouimus equidem, ipsas singulares horum omnium foetorum naturas accuratius curiosiusque posse definiiri; interim tamen cum plerasque illarum usu exactius doceamur, maluimus breuitatem sectari, quam subtiliter disputare.

saepe proxime praegressum terrorem, aut, si febris, praecipue intermittentibus, laborauerit aeger, iudicatoriam earundem solutionem manifestare; alias vero sordidiores magisque ulcerosas & velut serpiginosas de impuritate humorum cacochymica, aut eiusmodi, qui inde nascuntur, morbis, e. g. cachexia, chlorosi, fluore albo & gonorrhoea k), utrisque praesertim benignis, ipsisque interdum affectibus venereis, &c. si reliqua adhaec singula signa considerentur, luculenter testari. Oris autem tumorem, cum ipsorum labiorum inuersione atque retractione, inter Elephantiasis diagnostica indicia, citato iam saepius libro, refert LOMMIVS. Verum enim vero nec plane poenitentiam in prognosi capienda utilitatem haec phaenomena offerunt. Quemadmodum enim ex criticis in febribus oris pustulis, quas modo memo-

k) Memorabile ad hoc illustrandum sequens existimamus exemplum. Sartor quidam huius loci, circiter quadragenarius, tota facie, praesertim circa os, serpiginosis vlcusculis defoedatus, ceteroquin toto corpore cacochymicus, secundas in nuptias cum virgine iuniori, si non sat pulchra, purae tamen laevisque faciei. Vix semestri post ipse maritus malo suo exquire liberatur, & tota vlcusculorum serpiginumque cohors in os mentumque vxoris ipsius incubuit. Rogatis in consilium diuersis hujus vrbis Medicis, per duo &, quod adhuc superest, annos nihil plane aduersus pertinacissimas has pustulas medicamenta valuerunt. Ipsi demum, qui postremo huius mali curam susceperat, tum matrimonium improle, tum ingenium viri

memorauimus, optatus plerumque febris decursus praefagiri potest; ita tumor tum totius faciei, tum praesertim in palpebris & oris regione ortus, quem sexto potissimum septimou die in variolis obseruamus, instantem earundem praedicunt suppurationem. Inter pessima quoque summique periculi ac imminentis mortis praenuntia in lenteria atque hydrope omina oris exulcerationes, *Lommanis* obseruationibus, numerantur.

## §. X.

Cognitis nunc oris stricte sumti (§. II.), tam diagnosticis, quam prognosticis signis, ad singulas illius partes seorsim hoc intuitu considerandas nostra nunc conuertenda est disputatio. Primam ex ordine, quo se nobis offerunt, animaduersionem postulant *labia* (§. cit.), quorum naturalis conditio requirit, primo vt horizontalem, quem vo-

cant,

viri, vt videbatur, nihilominus amori vacans, ansam dederunt, vt in has etiam res inquisuerit. Quibus percontationibus aegre demum Medicus comperit, ipsum virum per septem iam annos ex fluore seminali benigno laborasse. Qua re comperta, Medicus vtrisque, & viro, & vxori eius, singulis malo conuenientia remedia exhibuit simulque, vt arctiori contubernio abstinerent, praecepit. Vtrorumque vero, nescio an viri solum, animus huius abstinentiae impatientis non permisit, vt mitigatum iam multa ex parte malum pustulaeque iam in sicciore squamulas mutatae penitus depellerentur.

C 3

cant, situm inter nasum mentumque, parallelum vero inter se feruent; dein vt subrubenti & velut roseo colore sint tincta; tertio vt ex voluntate hominis libere possint moueri; quarto denique ne praeter naturam tumeant, aut a pustulis aliisque id genus vitiis sint obsessa. Singula itaque haec momenta a naturali statu si remota fuerint, nobis signorum fontes sunt. Atque quod primum ad *situm labiorum* naturalem spectat, non ea hic pro diagnosi prognostique exponenda repetemus, quae iam superius (§. VII.) de variis oris distortionibus disputata sunt; cum ab his violentis oris mutationibus labia quoque in consensum trahantur & ex ordinario suo situ emoueantur. Illud saltem vnum minime silentio praetereundum existimamus, profundiorum labiorum fissuram, vt adeo parallelus mutuus situs immutetur, peculiare labri leporini, quod vocant, esse signum; in quo si superioris labii diuisio adfuerit, connatum plerumque vitium, si vero vtrumque labrum, aut saltem inferius solum fissura occupauerit, a causis externis, e. g. ictu, lapsu, &c. adscititium iudicatur.

## §. XI.

Porro a *colore labiorum* (§. X.) *vitiato* variae desumi possunt iudicationes. Aut enim *inense rubent*, aut e contrario plane *pallent & liuido luridoque colore* sunt perfusa. Quodsi labia *praeternaturalis* infecerit *rubor*, aut aucta in corpore sanguinis copia, vel vehementior eiusdem ad superiores partes *fluxio* manifesta fit, aut imminens quaedam *haemorrhagia*, praesertim *narium*, vel *restagnans* ali-



alicubi in capite sanguis, & inde deducti morbi, e.g. phrenitis, apoplexia, erysipelas faciei, &c. praefagiuntur. Saepe quoque labium summe rubens rememoratiui signi (§. IV) vice fungitur, & nonnullas turbulentiore animi commotiones proxime praegressas, inprimis iracundiam pudoremue, designat. Longe aliae pallori, & affinibus huic coloribus, livori, lurori, nigrori, &c. in labiis statuendae sunt diagnoses prognosesque. Inter alia enim pessimae indolis indicia generatim labia eiusmodi detestabilibus coloribus tincta famosissimam constituunt *faciem Hippocraticam* 1), si aequae horrendos habuerint comites, cauos nimirum oculos, acutum nasum, tempora extenuata atque collapsa, aures frigidas, contractas & in extremis suis apicibus a capite auersas, cutim frontis aridam atque duram, & ipsas denique palpebras uniuersamque faciei cutim simili liuido colore perfusas.

## §. XII.

Speciatim vero, si *diagnosticam* signorum exinde petendorum rationem habeamus, in febribus intermittentibus labia pallida aut subliuida horrore frigorisue paroxysmum demonstrant. Accidit etiam iis labiorum pallor, qui animo deficiunt, itemque puellis viro maturis viduisque iunioribus, quae men-

1) Conf. *Illustris Praesidis Fundamenta Semiologiae medicae* Part. I. Cap. VII. §. VII. & speciatim *Christian. Langii facies Hippocratica leui penicillo adumbrata*. Lips. 1651.

mensium obstructione *m*) aut saltem conturbato fluxu, chlorosi, cachexia vterina, amatoriaque febre laborant, interdum quoque viris hypochondriacis, praesertim iis, qui profundioribus meditationibus vacant, aut amore sunt succensi; unde etiam veteri est in prouerbio: *Qui pallet, aut studet, aut amat, aut aegrotat.* Quodsi autem his in morbis pallidus labiorum color magis in liuidum aut fuscum declinarit, peiorem periculosioremque eorundem indolem manifestat. Infantes quoque pueriue, qui atrophia aut vermibus emaciantur, signa horum malorum in pallentibus labiis praemonstrant. Notissimum quoque est, a flauo vel fusco labiorum ceterarumque partium colore icteri flauo aut nigri praesentiam indicari. Ad *anamnesticorum* vero *signorum* classem labia pallida aut liuida ideo merito referenda sunt, cum ex iisdem interdum partim nimia per qualescunque haemorrhagias facta sanguinis effusio, partim proxime praegressae quaedam animi vehementiores agitationes, v. c. terror, horror, &c. partim denique vel ipsi epileptici insultus haud diu sustenti, in quibus nimirum labia a morfu stridoreque dentium sugillata sunt, demonstrantur. Nec ipsa quidem

*m*) Nosram tamen non faciemus sententiam LINDANI, qui, teste SCHAARSCHMIDIO, in *Medicinischem Jahrgaengen*, II. Jahrg. p. 58. scribit: Foeminae eiusmodi pallentes non semper malum hoc patiuntur ex mensium suppressione, sed volunt viro cohabitare.

dem praefagia, quae huiusmodi labiorum decolorationi innituntur, vnquam aliquid boni ominantur. Qualis a *facie Hippocratica*, cuius pars huius coloris labia sunt, expectari possit exitus, nemo non no-uit. Atque alio quodam effato ipse accuratissimus signorum medicorum doctor, HIPPOCRATES <sup>n)</sup>, labia resoluta, pendentia, frigida & ad haec albicantia ad absolutos proxime futurae mortis indices refert. Illud saltim crebriori Medicorum obseruatione compertum est, a labiis valde pallentibus acutarum februm perniciosum decursum plerumque portendi.

## §. XIII.

Morus voluntarii vitia, in qua interdum labia deuolvuntur (§. X.), nonnihil etiam ad signorum faciunt obseruationem. Nos equidem aliqua, quae huc pertinebant, superius (§. X.), dum de peruerso labiorum situ habituque ageretur, attigimus: sed nonnulla, quae magis huc faciunt, porro hic persequemur. Ad *diagnosin* quidem, quae ex his adferamus, plura non habemus: *prognoseos* causa vero sequentia momenta animaduersionem merentur. A qualicunque labiorum contractione alui biliofas deiectiones, a distorsione vero eorundem, nisi quidem in febribus intermittentibus acciderit, propinquam mortem praefagiri, HIPPOCRATES affirmat <sup>o)</sup>. Quid ex pendentibus labiis praeiudicari possit, ex ante dictis (§. XI.) constare potest. Ast, qui

<sup>n)</sup> In *Praenotionib.* Cap. III. p. 449. Tom. I. Edit. cit.

<sup>o)</sup> In *Aphorism.* Libr. IV. aph. 48. & *Coac. praenot.* p. 543-

qui acutis febribus ab initio interdum superuenit, labii inferioris tremor atque concussio, ex HIPPOCRATIS sententia, vehementis delirii futuri, ex *Lommiana p*) vero obseruatione, instantis vomitus significatio aestimatur. Ad extremum ipsa accurata efflorescentiarum, exulcerationum, rumorum aliorumque hoc genus vitiorum, quae labiis peculiariter infesta sunt, consideratio ipsi signorum notitiae acquirendae insigniter est accommodata. Namque cum hae qualescunque labiorum mutationes a naturali eorundem constitutione maxime recedant (§. X.); ad diiudicandam morborum sanitatisue indolem nonnihil signorum intelligentibus offerre possunt. Tametsi vero merito huc quoque transferenda sunt, quae antea (§. IX.) de ore strictè sumto vlceroso, tumido, &c. explicuimus: pauca tamen sequentia singulatim adhuc exponere haud inopportunum atque superuacaneum existimamus. In *diagnostis signis* obseruandis occupati animaduertent, labia aspera, leuiter fissa, squamosa aut ipsis pustulis minoribus inter puncta, generatim febrium solutionem, singulariter vero in febribus catarrhalibus benignis catarrhi per nares effluxionem bene succedentem, indicare. Ad haec insignis saepe labiorum intumescencia atque inflatio *q*) a Medicis post febres obseruata est, vnde eadem quoque anamneticis febrium signis com-

*p*) HIPPOCRATES *de vultu acutor.* Cap. XXI. & XXII. & LOMMIUS *libr. cit.* in sign. vomition. Libr. I.

*q*) Memor bilem eiusmodi labiorum post febres inflationem narrat *Phil. SALMUTH*, in *Obseruation. medicar. Centuriis III. posthum.* Centur. II. Obseru. II.

commode hoc loco inferi potest. Ad prognosin vero instituendam haud perfunctorie animaduertenda sunt huius generis labiorum vitia. Plurimis enim foemel-  
 lis, imprimis cholericis, quae paullo strictiori cute induuntur, labiorum ruptiones, aspredines & desquamationes, nisi quidem a catarrho aut aëris iniuria acciderint, proxime imminentem catameniorum solutionem praefagiunt. Quin adeo plurima apud idoneos obseruationum medicarum auctores, quos singulatim enarrare breuioris nostri instituti non interest, exempla prostant, vbi ex labiis disruptis menstrua profluxerunt; vt exinde, tanquam signo, ad naturales mensium vias obstructas facilis fuerit coniectura. Quae vero de febrium solutione testari diximus, labia aspera aut leuiter vlcerosa, si in initiis febrium, nondum typo distinctarum, accesserint, aut easdem febres intermissuras, aut, cum in tertianas degenerarint, refrigerationes ipsis adfuturas, ex iudicio HIPPOCRATIS <sup>r)</sup>, ominantur. Contra ea autem in acutis morbis, si simul magno aestui interno fauciumque ariditati iuncta, fissurisque defoedata & velut squamarum secessione nigricantia fuerint, ex illustr. b. m. STAHLII praenotione, inter pessima omina numerat celeberrimus IUNCKERVS <sup>s)</sup>.

## §. XIV.

Proximum post labia locum occupant *dentes* (§. II.), durissima corporis humani ossa, in anteriori oris cavitare sita; de quorum sano rectoque habitu

D 2

duo

<sup>r)</sup> In *Popularium* Libr. VI. Sect. VIII. p. 821. Tom. I. Ed. cit.

<sup>s)</sup> Confer *Eiusd. Conspect. Pathologiae & Semeiologiae* p. 589. Tab. XIII. Semeiolog. III. 36.)

duo praecipua momenta luculentum perhibent testimonium: alterum nimirum, si ipsi dentes probe *albi, integri, arcteque alveolis suis infixi fuerint*; alterum, si *inuoluntario*, vna cum maxillis, *motu non commoueantur*. De prioris momento primo aliqua tradituri, generatim praemonemus, dentes robustos, spisse inter se iunctos, & numero pleniori absolutos, ab antiquissimis Medicis Physicisque <sup>t)</sup> optimae sanitatis indicia & longaeuitatis praesagia esse existimatos. Ad morborum vero *diagnoses*, hoc ex fonte deriuatas, sequentia spectant. *Lenta & tenaci sorde squalidi dentes* in febribus pertinaciam grauitatemque ipsarum manifestant; praecipue vero in continuis febribus maioris aestus indices esse solent. *Carie exesi*, aut saltem *materia* quadam *tartarea* circa gingiuas *adfecti* dentes, sicuti generatim corruptam atque inquinatam humorum indolem produunt, nisi quidem ab externa causa vitium traxerint, tum maxime hypochondriacorum hysteriarumque familiares comites communi fere obseruatione cogniti sunt: in quibus ipsis quoque aegrotis *stupidi dentes* haud raro proxime praegressos vomitus acidos, hoc in malo minime insolitos, innuunt. Ipsam autem *dentium vacillationem* non stomacacae solum scorbuticae superuenire, sed saliuationis etiam plerumque esse significationem, vel inter tonsores constat. At memorabilioris momenti *praesagia* e dentium indole capienda videntur. Attentionem profecto merentur, quae exinde HIPPOCRATES <sup>u)</sup> ominatur. *Perniciosum*

t) Vid. HIPPOCRATES *Popular.* Libr. II. Sect. VI. p. 708.  
Tom. I. & ARISTOTELES *Problem.* Sect. X. Probl. 47.

u) In *Coacis praenotionibus*, Sect. II. p. 543. Tom. I. Ed. cit.

sum est, inquit, ressecari dentes; eorundem corruptio abscessum circa gingiuam factum soluit; sed si dentis corruptionem grauis superueniens febris exceperit, aut delirium, funestum est omen: si vero seruati fuerint aegri, vlcera suppurabunt & ossa discedent. Haud laetabiliora omina ab ipsis viscidis tenacibusque sordibus, quae dentes inuoluunt, feruntur; siue enim eae albae fuerint, morbi diuturnitatem, siue nigro liquidoque tinctae fuerint colore, ipsam adeo certissimam mortem praenunciare putantur. Sed ad alterum progredimur momentum, in dentium phaenomenis obseruabile, *inuoluntarium* nimirum eorundem vna cum inferiori maxilla motum. Verum enim vero cum maxima obseruationum semioticarum pars, quae huc pertinet, passim iam supra (§. V. VII.) expositis oris stricte sumti signis sit comprehensa, ad eandem tenuae tantummodo spicilegium hic subiiciemus. Primarium &, paene dixerimus, vnicum phaenomenon, ad quod saltem ratione motus dentium immutati obseruatores semiotici attendere solent, est *stridor* crepitusque *dentium*. Ex his etiam praesentia corporis pathemata demonstrant, futura praedicunt. Ratione enim *diagnoscos* pueri in somno stridentes a vermibus laborare iudicantur. Qui idem per somnum stridor in illis etiam obseruatur, qui dentium doloribus velut punctum & per temporis interualla illatis dormientes affliguntur. Dentium ad haec crepitum in febris intermittentibus, praecipue quartana, frigoris febrilis testem iam ante declarauimus. In affectu porro phrenitico qui iam delirant, dentibus strident. Sed, vt ad *prognosin* quoque nos conuertamus, idem dentium fremitus, in paraphrenitide magis ab initio obseruabilis, LOMMIO iudicante x), futurum demum delirium praefagit. Saepae quoque, qui sub somno striderunt, paullo post apoplexia plerumque fatali correpti sunt. Atque vt vniuersam huius phaenomeni prognosin verbo complectamur, in omnibus magnis & acutis morbis, nisi aegroti iam a teneris facile fremere consueuerint, a dentium stridore convulsiones, deliria, fu-

D 3

rores

x) In *Obserrat. medic.* cit. Libr. II, de delirio.

rores & omnium denique horum finis, ipsa mors, erunt expectanda.

## §. XV.

Quae dentes ambiunt, *gingivae* (§. II.), peculiarem quoque hoc respectu a nobis exigunt considerationem. Enimvero cum ad dentes firmandos plurimum faciant, ea potissimum hic cognitu digna & Medico de signis sollicito proficua erunt, quae quaecumque hoc ipsarum munus pervertunt. Etiam si enim nec a gingivis tumentibus &, luxuriantis carnis instar, ipsas dentium coronas inuolventibus, incipientis salivationis praesentia demonstrari; nec ex earundem liuido aut subnigro colore, facilique ad digiti pressionem cruentatione, summeque imminuta cum dentibus cohaesione, maxima aut cachexiae chloroseosue, aut mali hypochondriaci absolutio cognosci; nec ex iisdem foede ulceratis consummatus hydropis & vel ipsius venereae luis status declarari; nec denique, secundum *Hippocraticas praenotiones* y), ab earundem cruentatione, lubrica simul aluo, summa perniciis vitae praelagiri posset: nihilo minus tamen ob pessimam solum & summe horrendam scorbuti scenam, in qua & gingivae spectaculo sistuntur, maximo iure hae ipsae ad Dissertationis nostrae ambitum pertinerent. Breui hac summa scena haec, quantum ad gingivas spectat, luditur. Gingivarum intumescencia, pruritus & rubedo scorbuti primordiis se adiungit: sed paullo post peiores factae gingivae a levi attractu sanguinem stillant iamque foetorem spirant. Inter haec dentes flavi nigriue carie absumuntur, & ipsae gingivae inflammantur, inflammatae vero in gangraenam aut fordidissimam abeunt putredinem: tandem ad ossa vsque exesae in ipsis mandibulis abscessus formant; quo statu plerumque proximus atque funestus huius scenae finis instat z).

## §. XVI.

- y) In *Coacis praenotionibus*, Sect. II. p. 543. Tom. I. Edit. cit.  
 z) Ad exactiorem horum symptomatum notitiam singulariter commendari merentur *Illustris Praesidis Fundamenta Semilogiae medic.* Part. II. Sect. VIII. Cap. I.



## §. XVI.

Sed ad finem properantibus nobis gressus parumper sistunt nonnullae reliquae oris partes, *palatum* nimirum & annexa ipsi *uvula glandulaeque* in oris cavitate comprehensae (§. II.): quas omnes perpaucis verbis expediemus. Atqui de *palato* constat, ulcera eius & cariosae ipsorum ossium consumptiones ad praesentis luis venereae diagnosis, ipsa vero, quae inde remanent, exesi palati foramina, ad eiusdem mali anamnesin pertinere. Palati autem compressa atque coarctata cavitas, qualis eius formatio non admodum raro inter naturae errores reperitur, vocis vitiatæ & plerumque blaesæ aut titubantis causa est atque indicium *a*). Quodsi vero circa palatum humorum fiat collectio, HIPPOCRATIS iudicio, in suppurationem abibit. *Uvulae relaxatio* serosam potissimum metastasin, a grauedine aliove catarrho ortam, designat: ipsa vero eiusdem absentia, nisi quidem naturalis & per vitiosam naturae fabricam fuerit, praegressam eiusdem plerumque a veneris, interdum tamen a variolosis quoque ulcerationibus destructionem manifestat. Si quid tamen ex hoc gurgulionis defectu statuendum est, ob innumeras hac de re observationes, satis certe qualiacunque pulmonum vitia & praesertim phthises praenuntiari possunt. Ultimo tandem ad *glandulas oris* progredimur. Praecipuum illarum genus, quod *tonsillas* vocant, diuersis exhibendis signis est conuenientissimum: quae tamen simul ad reliquas etiam glandulas potiori ex parte volumus applicanda. Ratione diagnoseos, si tonsillas tumor aut inflammatio occupauerit, aut simplex inde destillatio serosa, aut, coniuncta febre, benignae catarrhales febres, &, accidentibus reliquis signis, ipsa formidolosissima pestis indicantur; cum autem tumor diutius persistit, magisque in scirrhum aut dehinc in fistulosas ulcerationes verferit, saepenumero non sine rationibus superueniens mali venerei signum aestimari potest. *Prognoseos* re-

spectu

*a*) Quo rarius ad hanc causam in sermonis vitii attenditur, eo maiorem hic pro ipsius consideratione meretur commendationem.

32 *Dissertatio inauguralis medica, de ore, ut signo.*

spectu vero sequentes tantum HIPPOCRATIS praedictiones, passim ab ipso traditas, hoc loco exponemus. Tonsillarum ulcera in infantibus periculosa, in pueris vero, etiamsi coniuncti tumores insignis magnitudinis fuerint, dummodo deglutitio non plane sit impedita, salutaria adfirmat. Si vero in adultioribus pueris deglutitio exinde maxime sufflaminata fuerit, vomitusque aut alui deiectio biliosa supervenerit, in periculo versari aegrum contendit. Neque demum idem accuratissimus in obseruando senex boni ominis ulceratas aestimat tonsillas, quae aliquid arenosi aut tophacei continent, itemque eas, quae in aestate hoc pathemate adficiuntur.

§. XVII.

Quae nunc restant, profundioris gulae partes, ab aliis quoque ad oris ambitum relatas, consulto praeterimus, ne constitutis Dissertationis nostrae limitibus elapsi grataeque breuitatis videamur incuriosi. At qua demum temeritate, quae negligentia *linguae*, tam commodi & celebris in exhibendis signis adminiculi, consideratio omissa sit, plurimi interrogabunt. Sed hi erunt fere, qui diversorum celeberrimorum Medicorum absolutissimam operam huic singulari oris parti impensam nesciunt. Atque iis, in fidem dictorum nostrorum, conferendos commendamus, *Protbi CASVLANI, de lingua, quae maximum est morborum acutorum, signum*, opusculum. Florentiae. 1621. in 4. *Io. Mauriti. HOFFMANNI γλωσσογραφία ἰατρικὴ*, *linguae statum naturalem, praeternaturalem & signa exponentem*. Altorfii 1677. in 4. *Io. Reinh. KÜSTNERI dissert. de lingua sana & aegra*. Altorfii 1716. *Io. Iac. FICKII dissert. de lingua morborum praesaga*. Ienae 1725. tandemque *Illustris PRAESIDIS dissert. de prognosi ex lingua in quibusdam morbis formanda*, hic Halae 1748. habitam. Quae cum ita erant, commodissime hic Dissertationi nostrae coronidem imponi posse rati, vnico tantum ad haec verbo nostrae praesentia conamina beneuolis lectoribus volumus commendata.

F I N I S.

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

P R A E S E S.

**Q**uo maiora in ipso artis medicae exercitio adiumenta accuratae, neque ad ingenii solum foecunditatem conformatae causarum in morbis proximarum cognitiones offerunt; eo gratiores ac-ceptioresque Medico, de feliciter facienda medicina sollicito, eiusmodi res esse solent, quae eidem ad evoluendas ipsas proximas morborum causas expeditam neque diverticulis interruptam viam com- monstrant. Atque inter eiusmodi adminicula, intimiorem harum cau- sarum intelligentiam acquirendi, primario quodam & velut eminenti loco constituta sunt ipsa signa medica, quippe quae saepenumero multa ex parte ab ipsis morbi, de quo testimonia edunt, proximis causis suas origines deducunt. Profecto longe emendatior medicinae conditio esset futura, si, qui in morborum curationibus singula phaenomena indefesse observarent, & observata in communem utilitatem cum aliis Medicis publice communicarent, plures hodie inveniuntur. Proinde magni semper aestimo & perpetuo aestimabo, qui, quantum pro virili li- cuit parte, ad magis magisque evoluendam signorum doctrinam sua quoque studia suosque conferunt labores. Intelligis, NOBILISSIME DOMINE CANDIDATE, etiam in TE hanc dici laudem, cum, Speciminis inauguralis loco, singulare argumentum semioticum lucu- lentius explanatum sis. Quam ob rem eo prolixius TIBI gratulor, quo accuratius eximios TVOS in arte nostra acquisitos profectus novi, & quo certiori spe exinde redundaturos in publicam Tuamque utili- tatem

tatem fructus augurari possum. Ad haec per quatuor istos annos, quos in academico curriculo consumpsisti, publico huic industriae eruditionisque TVAE specimini plura alia huiusmodi exempla praemissisti, cum semel respondentis munus gesseris, saepius vero publicis oppositionibus inuitatus disputaueris. Quapropter summos in medicina honores, TIBI mox conferendos, ex animo gratulor, complura simul inde euentura felicia atque fortunata TIBI incensis votis apprecatus. Vale. Dab. Halae Magdeburgicae, d. XIV. Calend. Octobr. MDCCLII.

**S**ie wars, die Deine Jugend lehrte,  
Dein ganzes Glück, die holde Weisheit die:  
Du folgtest ihrem Wink: Schnell dachte sie,  
Was noch zu Deinem Ruhm gehörte.  
Drum eröfnet sie segnend Deinen selten Fleiß,  
Wie vormals unsre beyde Seelen.  
O daß mein Herz doch nur zu wünschen weis!  
Und was? Dir soll kein Glück mehr fehlen!  
Das fehle Dir, der Ehrens Angst und Müh;  
Doch Deiner Göttin Sorge schlummert nie  
Die holde Weisheit die!

Jacob Christian Ludwig Hufschch,  
aus Kitzingen in Francken,  
der heil. S. S. Befliffener.

Splen

**S**plendida jam prodit Parnasso gloria: Themis  
 jam prodit, titulos donat, Te exaltat Apollo,  
 Parnasso donat lauros, Tua tempora cingit:  
 gloria Te exaltat: Tua tempora cingit honore  
 Themis, Apollo cingit honore decore, perenni.

te ferVer nVMen: CresCat rVa gLoria: CVra  
 nVLLa rVa obVeLet LVstra: ViresCe: VaLe.

*Clarissime ac Doctissime Domine Doctorande,  
 Amice suavissime,*

nec illum amicitia & favore tuo excludito, quem  
 fide tibi iunctissimum novisti

**GEORG. LVDOV. HECK,**

LANDAVIO-ALSATAM,  
 MEDICIN. CVLT. OPPON.

**C**ur tanti plausus? Cur nectit Hygea coronam?

Cur hodie huicce Deae templa dicata patent?

Haec TIBI templa patent, TIBI nectitur haecce corona,

Et tanti plausus TE celebrare student:

Et quis amicorum nunc plausus edere noller?

Cum Te pro meritis praemia tanta beant.

Haecce


*Clarissimo atque doctissimo Domino Doctorando  
 in memoriam sui gratulabundus apponere, sequae  
 amicitiae Eius dudum sibi probatae  
 commendare voluit*

**IOANNES ERHARD RICHTER,**

LOBENSTEINIO - VARISCVS,  
 M. C. OPPONENS.

Die

**D**ic cur Pœonidum Princeps Augusta Minerva  
 Sæpe suos soleat fingere felle fauos?  
**O**buclara caput clypeo, cur iactitat hastam?  
 Vberum amatum ebur cur premit aere chalybs?  
**C**ur multis via, qua petitur, riget horrida spinis?  
 Vsteri montis culmina summa colit?  
**T**errificum dicis, truculenti martis amictum  
 At Dea ferre potest, ut Dea ficta Deum est.  
**O**cculti quidquam latitare vides: cupit esse  
 Intrepidus pugiles, qui sua castra colunt.  
**R**obore vique animi claros, virtute probatos  
 S eligit Athletas, quos sua dona beent.  
**T**alis, Amice, pugil vere es: centena laborum  
 Vgmina deridens tutus ad alta volas.  
**E**n iam vicisti, lætos cantare Triumphos  
 Me iuvat, ecce patent atria sacra Tibi!  
**R**esplendens rutilo vultu venit obuia Themis  
 Imponit Lauros bassa mille ferens,  
**D**octorem plenis te buccis praedicat: instat  
 Certatim festo turba nouena choro.  
**I**ungere Diuarum votis mea, Zimmermann, fac ausum  
 Et raris meritis flectereserta Tuis.  
**G**loria magna Tibi virtute labore paratur,  
 Venere & factis praemia digna Tuis;  
**N**actus es optatam forti certamine palmam,  
 Invictus lauro tempora cincta geris.  
**E**rgo age: speratam post bella capesse quietem,  
**R**estinguent longam nectara chara sitim.  
**O**rbis in Augustum floresce perennis honorem  
 Et quod adhuc auco: sis memor vsque mei  
*Qui fidus & addictissimus  
 Tibi peremo*  
**CHRISTIAN GÖTTLIEB UCKE**  
 Livonus. Oppon.




Halle, Diss., 1752 AIM

ULB Halle 3  
002 612 291



82







1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE

ORE  
VT SIGNO

1752,3.

QVAM  
SVMMI NVMINIS AVSPICIIS

ET  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV  
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI A CONSILIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOS. NATVRAE PROF. PVBL. ORDIN.  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOS. PRAESIDE,  
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIMO MODO IMPETRANDIS

D. XX. SEPTEMBR. A. R. S. MDCCLII.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBLCICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES CONRADVS PHILIPPVS ZIMMERMANN

KITZINGA-FRANCVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

158

6

